

ligo ex secunda epistola tua, vel quia mordatius scripsit fortasse quam decuit, aut quia garrulitatem ranarum eius loci didiceris, iterasti eulogium, replicasti querellas, seu, quod verisimilius puto, dum ad questum modum non habes, ad nugas delaberis, quasi futuras levamen huius quo afficeris tedii. Quicquid sit nescio; illud autem non ignoro, quod bis me in spem propulsasti, non contentus generali me alloquio inclusisse. Itaque silentii mei, quod michi pridem indixeram, dum ad hoc egregium exercitium me dedico, fregisti repagula, et ex inde conceptum torporem aliqualiter excitasti. Quereris sane locum silvestrem, penuriam rerum, mores hominum barbaros, et demum solitudinem regionis, que etsi singula gravia sint, collata in unum tediosa sunt, fateor. At hec, qualiacunque sint, credere possem, si scirem te mollibus usum, si inter delitias vitam duxisses enervem. Sed cum noverim semper te fuisse in laboribus et erumnis, ut pote qui fato trahente ad servilia natus, nunc huc migraveris, nunc illuc, interdum etiam navita insignis evaseris, multaque incomoda perpessus es vite, non celo, non solitudine premeris loci, nulla demum nova laborum facies te fatigat: noli, queso, nos fallere, neque fallas te oro; aliud est quod te torquet et crutiat, etsi forte dissimules: non habes offitium Iustino- poli, non alia, que quondam peculium auxere; plurimum interest inter rapas et balsamum. Nam que presupponis, amice, quantuncunque sint gravia, tollerabilia fierent, ubi dolosi spes refulgeat numi, uti Persius noster ait. Porro cum ab uno extremo ad aliud medio nullo transiveris, fit tibi res durior, et impatientia victus eo duceris, ut damnes solum, aerem culpes et solitudinem detesteris. At si peritioribus credimus quicquam, non locorum est morbus, sed noster, nam undecunque ad contemplationem celi honestarumque rerum libera via est, liber aspectus. Desine igitur ista pretendere, et te in quocunque statu virtuosum ostende, aut virtutis amicum, ut michi de te hactenus sententia fuit, memor illius philosophici monumenti, quod omnis scilicet sors beata sit equanimitate tolle-

Sat. prol. 12.

Horat.  
Epist. I 11, 27.

10-11 futurans *Vat.* 11 *M. L.* quicquam. 12 *Vi.* propulisti. *M. L.* propul-  
sati. 14 *M. L.* pridie. 18 *Vi.* grava. 18-9 *Vi.* qualicunque. 24 nova] *om.*  
*M. L.* laboris. 26 *Vi.* dissimiles. 27 *Vi.* peculia. 29 sint] *om. Vat.*  
31 *Vat.* impatientiam 32 *Vi. M. L.* educeris. 33 at] *M. L. ac.* 38 *L.* equa-  
nimiter. 38 sos *Vat.* 38-9 *M. L.* tollerantibus.